



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

26 Junii. 6 Kal. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

26 Junii. 6 Kal. Julii.

SANCTI Joannes, & Paule, fratres,
 qui cum in impiâ Juliani aulâ
 illius familiares esse nolletis, ne in
 moribus contaminaremini; factâ
 facultatum omnium in pauperes e-
 rogatione, per decem dies vos præ-
 parâstis ad mortem: quorum, clam
 pro Christo occisorum, meritis, &
 gloriâ, ipsi ex energumenis dæmo-
 nes torqueri se facti, expulsi sunt.
 Orate, ut fugiam et ego, fugiam
 semper, inimicas amicitia Christi
 amicitias: Deum præ omni omni-
 tum, etiam potentium, & amico-
 rum, hominum respectu, habeam
 præ oculis cordis! Abibo è mundo
 semel! amicitia hujus mundi, scio,
 inimica est Deo. Dei ergò potiùs,
 quam ullius mortalium, amicus
 vivam, & moriar. Amen.

S. Vigili Episc. post miracula
 plura, lapidibus obrute M.

SS. Salvi Episc. & Superi, MM.

S. Anthelme Episc.

S. Maxenti Presb. de cujus ma-
 nibus comedebant aves, liberæ ad-
 volantes; cujus orantis cubiculum
 Angeli frequentabant, & luce ma-
 gnâ implebant.

S. Pela-

S. Pelagi, pulcherrime, sed simul pudicissime, adolescens; qui, cum à Rege tangi, & à Christo deficere, nolles; cum frustatim scindereris, de cælo vocem audisti, dicentem: *Veni, accipe coronam, quam tibi ab initio promisi!*

S. David Eremita.

S. Perseveranda Virgo.

B. Rodulphe Episc. magnæ orationis, austeritatis in corpus, & in egenos benignitatis, vir.

S. Venera V. pro puritate Martyr, à fratribus tuis occisa.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA, *cujus honori hodiernus S. Anselmus Carthusianus Officium quotidie recitavit, quod Carthusianus persuaserat è cælo S. Petrus Apostolus. Ora pro me, ut ita orem, prout orare me volunt Sancti, & tu ipsa!*

27 Junii. 5 Kal. Julii.

SANCTE Ladislæ, Ungariæ Rex Apostolice, *cujus aulæ familiaris Angeli, tibi, in singulari certamine, strictis gladiis adstitere: qui Geysam fratrem tuum ab iisdem coronari vidisti, & divino monitu, MARIAE basilicam erexisti: qui*
orans,